



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

6. De Adulterio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

etiam seclusa omni humana prohibitione. Sic Bonac. *de primis Decalogi praeceptis* quest. 6. num. 14. & explicat. Ratio est, quia est gravis irreverentia divini cultus, atque adeo ipsius summi Dei notabilis injuria.

Turpiter concupiscere mulierem dum quis recitat officium, non esse mortalem irreverentiam, unde nec necessario speciatim confessio aperienda, judicat, contra Silvium, Diana p. 6. tr. 7. res. 36. quem lege, nam inde ex modo à me dictis poterit statuere quid si illam concupiscas dum Sacram facis? Quid dum consecras & consummas sacrificium. Quid dum fers sacram hostiam ad infimos? Quid dum ministras alteri eandem Eucharistiam, quid, dum quilibet actu communicat, vel immediate post, hoc est dum sacras species in se habet, & familiaris nam in his casibus in quibus advertitur gravem & quidem peculiarem irreverentiam Summi Dei, erit mortale sacrilegium in propria specie, seu non item.

Potes quid intelligitur, ad hunc effectum, notari loci facti? Respondeo, quamvis ad effectum refutatus sacri nomen intelligatur, includaturque ex Sanchez libro 9. de Matrim. d. 15. numero 23. & 42. non solum Ecclesiam ipsam, Capellamque suas, sed etiam Sacramentum, Monasterium, &c. at ad effectum constituti sacrilegium tum in homicidio, tum in furto, tum hic, intelligitur ex Sanchez ibidem à dicto numero, vigesimo tertio, sola Ecclesia, & solum Coemeterium hoc est Ecclesia cum suis capellis consecrata, aut scilicet ab Episcopo benedicta, sacris officiis, aut sepulture fidelium deputata.

Denique, adverte duo. Primo ex Delugo *disp. 16. de pen. sect. 12. n. 523.* non addere novam sacrilegij speciem circumstantiam temporis sacri; sive igitur die festivo, sive die Veneris Sancti commissum fuerit peccatum, non est necesse eiusmodi temporis in Confessione meminisse. Nisi forte ex alio capite Deo eiusque cultui irreverentia aliqua notabilis irrogaretur: sic ibid. num. 524. ut si quis v. g. ludos publicos, vel comedias, & ludicra spectacula exhibere in die Veneris Sancti v. g. vellet, id esse contra Dei reverentiam, nemo dubitare debet.

Secundò ex Filliuc. *tom. secundo, tract. trigésimo, cap. primo, num. 129.* apud Dianam *parte 1. tract. septimo, resolutione decima octava*, nec ex se superadditur similis sacrilegij malitia, ex eo quod quis peccet gestando sacras Reliquias. Ratio est quia non videtur tam gravis irreverentia.

Quid si Sacerdos v. g. portans sacram Eucharistiam, vel Primò copulam carnalem habet, vel Secundò infamaret, seu furaretur, seu quid simile peccatum patrat? Respondeo in primo casu magnam irreverentiam agnosco, unde & grave speciale sacrilegium, contra Religionem commissum, atque adeo Sacerdoti subiciendum. In secundo tam gravem irreverentiam non video. Nec novum est non omnia peccata aequalem turpitudinem continere: nam propter eandem rationem, eam, qui valde impudica ante Altare exercetur, modò numero undecimo, à sacrilegio non liberamus: liberamus tamen cum Azor *tom. tertio, capite vigesimo septimo, questione decima quinta*, alia peccata non ita turpia committentem.

§. VI.

De adulterio.

Curum est coniugatum turpiter peccantem cum soluta, vel contra debere explicare se esse conjugatum: quia tunc adest nova species, nempe Adulterium. Sed quaestio est, An quando coniugatus cum conjugata (& idem quaeritur quando professus cum professâ) peccat explicandus sit status utriusque, an satis

est dicere commissi adulterium, sacrilegium, &c.

45. Dico non esse satis, sed adulterium, vel sacrilegium ex parte utriusque esse perpetratum fore necessarium explicandum. Ratio est ex Delugo *disp. 16. de pen. sect. 5. num. 258.* quia tunc duo sunt commissa peccata, alterum quo quis peccat in sua persona, alterum quo cooperatur cum alia, ut illa in propria persona peccet.

45. Sodomia cum conjugate etiam sua, est adulterium: & denique bestialitas, Sodomia, & similia delicta uxori, etiam cum solutis, sunt adulteria, ut item mollietates, atque adeo explicanda: idem dic, de osculis & tactibus impudicis, &c. Ratio ex Sanchez l. 9. *Matr. d. 18. num. 4.* Azor. *tom. 3. lib. 3. cap. 23.* quia in his semper injuria fit coniugi.

De delectatione morosa coniugati, vide supra, cap. 7.

§. 1. num. 4. fine.

46. Superest hic, tanquam in suo loco, quaerere an qui sponsam habet de futuro, id explicare debeat, si contra Castitatem peccet? Respondeo probabilissimum esse non debere. Sic Basilii Pontius *de matr. l. 1. n. 8.* alique. Ratio est quia per sponsalia nondum traditur jus in corpus, quare non peccatur contra iustitiam. Et sicut qui vovit Religionem si fornicetur, non obligatur explicare tale votum, quando fornicationem facit, quia per promissionem Religionis nondum contrahit obligationem voti Castitatis; ita ille per promissionem Matrimonij, nondum contrahit obligationem iustitiae.

§. VII.

De Incestu.

47. Non est dubium Incestum esse speciem luxuriae explicandam in Confessione, quia consanguineis, vel affinibus, contra Castitatem sive per copulam, sive etiam per oscula, tactusve impudicos peccas, &c. nam propterea ita communiter definitur: *Est peccatum luxuria, quod committitur cum persona coniuncta.* Sed quaestio est an incestus cum consanguineis differat ab incestu cum affinibus: & rursus; an incestus cum alterutris ex praedictis in uno gradu usque ad quartum (nam in aliis à quarto est simplex fornicatio) differat specie ab incestu in alio: v. g. peccato cum matre, cum filia, cum sorore, cum nepote, cum consobrina, sive consanguineis, sive affinibus, differunt ne inter se specie, ita ut in Confessione talis gradus sit ex necessitate declarandus? an verò si quis, cum aliqua ex dictis peccavit, etiam si fuisset mater, satis se explicet dicendo *incestum commissi*? Quid de peccante cum conjunctis spiritualiter, id est baptismo, vel Confirmatione, & de coniunctis legaliter id est ex Adoptione?

Tribus dictis hæc, quæ satis confusa propter opinionum varietatem apud auctores sunt, breviter distinguere, ex meo instituto, expedientur.

48. Dico probabile esse nec consanguinitatem ab affinitate, ex S. Thom. 2. 2. q. 15. art. 9. Cæter. *ib. d. nec unum gradum ex his differre specie ab aliis.* S. Filliuc. *tom. 2. tract. 30. c. 5. n. 97.* dicens esse opinionem S. Thomæ Cæter. Soti, & fere Thomistarum: Gripius in *tr. de casibus reservat. c. 8. n. 5* Megala in 1. p. lib. 5. c. 12. num. 9. uterque apud Dianam p. 1. tract. 7. res. 31. Vnde licet sine dubio gravius sit contra unum gradum delinquere, v. g. contra primum cum matre, quam contra alium, v. g. cum consobrina; tamen quia non mutatur species, putò non esse ea speciatim ex necessitate patefacienda. Ratio est, quia in omnibus his una specie deformitas est (licet modo levior, modo gravior) nempe contra reverentiam debitam conjunctis. Quòd autem id oriatur interdum ex ipsa natura, ut in primo consanguinitatis gradu, & per alios etiam in secundo, interdum verò ex præcepto